



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.D.LXXXVII. Sancti Patris Benedicti. M.C.VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

rum opinionem, semper florentissimam extitisse.

Maria de Bellovilla.
Sacrum hoc ipso Anno habitum induit sanctæ memoriæ Maria de Bellovilla Comitissa Sancti Aniani &c. in Monasterio Ordinis nostri de Bello Monte sub Amita sua ejus loci Abbatisa, ab hac non tam verbis quam sancto vitæ exemplo ad tantam perfectionem, de qua suo loco, educta. *Ex P. F. Amando Tribout.*

Jacob de Froye Abb. Hasnon.
Moritur eodem ad felicem evocatus immortalitatem Jacobus de Froye, Abbas Hasnoniensis lectissimus, Sanctæ memoriæ Ludovici Blossij discipulus felicissimus, & imitator strenuus, singulare Ordinis in Belgio Sydus, præclare de omni etiam posteritate meritis, dum præfati Magistri sui libros emendatioris edidit, & ipse etiam librum de Sanctis Hannoniæ composuit. *Ex Monim. Hasnoniensibus.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. LXXXVII.
Sancti Patris Benedicti M. C. VII.

Inventio SS. Placidi & sociorum Mart.
Memorabilis toti Benedictino Ordini, insigni felicitate hic annus, Inventione corporum sanctorum Placidi Archi- & Proto-Martyris nostri, Discipuli S. P. Benedicti & Sociorum triginta trium Monachorum, nec non Fratrum ejusdem germanorum Eutychie & Victorini ac sororis Flaviæ Anicij Augustissimi generis florentissimorum germinum & Illustri-ssimorum Romanæ Nobilitatis Principum, & Sanctissimi Patriarchæ Nepotum. Eam solemnem admodum & miraculis gravissimis confirmatam, annua & solemni memoria dignissimam censuit Sixtus V. Pontifex Maximus, & celebrandam sanxit, atque in Calendarium Romanum reponendam concessit juxta Indulgentiis amplissimis, eandem Ecclesiam, ubi sacer thesaurus repositus est, visitantibus, quod præceptum aliaque notata dignissima prælixius describit Arnoldus Duacenus ad diem 4. Augusti.

Fulienfis Reformatione invalescit.
Hoc ipso anno ipsa longè latè-que fama sanctitatis Fulien-ssimorum, mirificè accensis admirabili quodam fervore diversis diversorum Ordinis nostri Monasteriorum Religiosis, alijs super inaudita re-
nate artonitis, alijs mirificè erga eodem & eorum sacros conatus affectis,

tantopere excrevit sanctissimæ Reformationis Religio, ut paulo post aliquot Canobia omnem illorum rigorem ultro amplecterentur, alij & alij Principes nova ex fundamentis Monasteria molirentur, in quæ tantorum virorum colonias inducerent, Sixto V. Rom. Pont. Ordinem ipsum & solemniter approbante, & in specialem protectionem suscipiente, sed & amplissimis immunitatibus & privilegijs donante. *Ex Mst. Fulienfi, & communicatis R. P. Phil. Malabayla.*

Sed & Fœminæ Serenissima & Illustri-ssimæ, nequid viris cederent, eundem paulo post magno numero, & hoc præfenti anno plures exambire, nulla curiositate ductæ sed amore Numinis Divino impulsæ Spiritu, per quas singulariter factum est manifestum omnibus, DEUM esse, qui ad confusionem fortium potentiam suam etiam in sexu fragili, toti mundo exhiberet, & se magnificum in parvis ac humilibus demonstraret, vanitatem & falsitatem illorum convincens, qui sapientes in oculis suis omnia vel solis viribus humanis metirentur, vel propria carnis mollitiei nimium creduli & quæ spiritus sunt minus saperent, DEI gratiam sua propria culpa, nec mererentur, nec nosset, imo eidem, non solum in seipsis, sed & in alijs obstaculum nequiter objicerent, & quod horrendum, qui alijs exemplo & incitamento esse deberent, acuratiore sanctissimæ Regulæ studia, tanquam muliercularum nugaces devotiuiculas & scrupulorum nugas riderent & damnarent, adeoque Divini Spiritus dictatis illudentes, tanto Dictatori directè resisterent, veræ & solidioris disciplinæ protritrores ad Divinum tribunal comprobandi, gratiæ & Divini Spiritus irrisores judicandi & pro immani hoc scelere irremissibiliter condemnandi. Longè aliter serenissima

Etiã sacra Virg. rigoris amplexa.

Contemp- tores SS. Regula.

V. Renata Duc. Lothar. monialis.

Beatæ memoriæ Renata Lotharingiæ Ducissa S. Petri Remensis Abbatisa, quæ omne suum studium, in observatione minimorum aequè ac maximorum in Regula præceptorum posuit, quæ etsi ad absolutissimum illum Fulien-ssimorum rigorem cum suis se devovisset minime legatur, tamen sanctissimi Patris sui BENEDICTI mandata, imo illa ipsa omnia Divini Spiritus

tus.

tus dictata fecit; ut illis revera juxta solemnem suam professionem tanquam revera DEO ipsi parendum crederet, imo ad omnia ita tanta Princeps componeret, ut viva omnibus suis Regula esset. Fuit Deipara Virgini longè devotissima, aliasque inter devotiones quibus inexplicabilem testaretur affectionem, quatuor. Capellanos aluit, qui quotidie, memorabili sane exemplo, Officium Missæ, in Sacello ejusdem de Deipara decantarent. Caterùm quàm negligens ipsa sui, imo jurata tenerrimi corporis hostis fuit, tanto magnificentiora omnia quæ ad cultum DEI essent, esse voluit, & Basilicam ferè à fundamentis magnificè restituit & insigniter adornavit, eamque pretiosissimis ornamentis, tabellis, aulæis, vasis sacris, & potissimum Sanctorum Reliquiis nobilitavit & locupletavit. Longus est in pretiosi thesauri recensione, vitæ ejus Auctor. apud me, Ms. quem sola hæc serenissima Princeps loco huic contulit, partemque etiam à Rege & Regina Galliarum meruit, ipsa omni auro & gemmis pretiosior suæ Basilicæ Margaritæ, æternum familia Lotharingicæ ornamentum. Ex vita & R. P. Amando Tribout.

Ejus Encomium.

Henrici III.
Gall. Regis
affectio.

Perlata ad Henricum III. Galliarum Regem de admirabili vitæ rigore & sanctitatis exemplis Fulienfium nostrorum fama, haud immerito tantum Principem percussit, felicissimumque se duxit, cujus Regiminis temporibus, cœlestium æmula liliorum, tot tantique manipuli cœlis sese, atque etiam Regnum ipsum commendarent, & verè bearent. Jis ut etiam coram frueretur, permagnificum ipsdem in Regina Parisiorum Urbe condendum Cænobium censuit; idque quamprimum opere aggressus, Fundamenta in Suburbio Sancti Honorati jecit, tanta sollicitudine ipse in instructionem incumbens, ut vix expectare posset, præ nimia desiderij impatientia, donec suprema manus structioni imponeretur, adeo rerum fatagens, & operarios atque Architectos urgens ac perturgens, ut nec intendentibus se etiam noctis tenebris opus intermiti permitteret, sed accensis etiam faculis, ipse Rex à tergo laborantium insisteret, excitaret, animaretque felicissi-

mum sese & metropolim suam credens, si paulo post tantos penes se viros haberet, qui sanctissimis vitæ exemplis perditissimos hominum mores, ad saniora studia, melioremque frugem revocarent: proque Rege & Regno dies noctesque apud Numen intercederent. Missa quàm primum ex Archisterio Fulienfi Monachorum sexaginta insignis Colonia, & à Rege summo plausu accepta & novo Cænobio immissa. Qui quam rationem tam longi itineris inierint, placet ex Ms. libro Authoris Synchroni & de industria latentis inserere: *Cum namque imprimis observandum sibi prastitissent, ut pedibus illud conscirent, & Divina officia noctu & interdium, horis à Regula statutis, omnes simul, & ipsdem planè ceremonijs, quibus in Ecclesia, recitarent. Noctu quidem hora à Regula prescripta, in hospitjs à Regijs ministris Regiæ impensa paratis, Nocturnorum, Laudum & Prime Divinum pensum persolvebant. Iter dein ingressi, ubi ex horologio horam Teritiæ instare cognovissent, in ipsa via subsistentes, & in binos Choros protenso Ordine divisi, officium illud canebant, capita inclinantes, genuaque siccantes prout ritus exigebat, eodem prorsus modo ac in Odeo illis usi venerant. Idemque observabant; ubi Sextæ, Nonæ, & Vesperarum hora supervenisset, hoc tamen provisio: ut diebus Jejunijs Regularis, Nonæ; ceteris vero sextæ officium, ubi sumendum illis esset prandium, recitaretur. Quo sumpto, rursus itineri se committebant. Hac ratione, iter tam frequenter interruptens, vix duobus mensibus illud emetiri poterunt; & tante novitatis vulgata fama, non ex vicinioribus modo, sed ex remotioribus, ad loca per que illis transeundum erat, perpetui concursus fiebant, non hominum vulgarium duntaxat, sed & Nobiliorum, tam virorum, quàm Matronarum, qui ad hujusmodi spectaculum, non obstupescabant modo, sed ad vitam pie sancteque in ceterum instituendam, mirum in modum permovebantur. Quin etiam ex ipsis Calvinistis, plures respiciebant, ceteris omnino confusis recedentibus. Huc usque Author prædictus.*

In Anglia dignissimus Beatæ memoriæ Joannis Feckenami Abbatis Westmonasteriensis Discipulus Sigbertus Buclaus ejusdem Monasterii Monachus, ob egregiam in Fide Romana

Fulienfium
Colonia,

Mirum itinerarium
institutum,

Si ebertus
Buclaus,

na constantiam carceribus emancipatus, pro eximia magnanimitate, etiam in hac mortali vita singulari à Numine gratia & beneficio honoratur, quippe Monachis Angliæ omnibus sive à Regno profligatis, sive per varios cruciatus interemptis, cum unus ipse superstes esset, accedente DEO Hispanorum atque Italorum Monachorum nostri Ordinis animos, quibus de captivitate generosissimi hujus senis constabat, in ejus licet nomen, pro reverentia tamen. Ecclesiæ Anglicanæ à nostris olim primitus plantatæ, & mille pene annis feliciter administratæ, jurare, & NOVA quâdam CONGREGATIONE instituta, eundem Buclæum sibi præfectum, sive potius tanquam exemplar Generosissimæ Constantiæ propositum & Præpositum voluere; ut paulo post ingenti spe fructus, imo uberrima prosperante cæpta Numine, cum messe, Illustrissima illa & meritissima CONGREGATIO BENEDICTINORUM Anglicanæ, pro populi ejusdem ad Ecclesiam Catholicam reductione, consurgeret & mirè Martyrum nostrorum impinguita & Benedicta sanguine effloresceret. De qua, deinceps, Pontificia auctoritate solemniter approbata & fructu ejusdem suo loco. *Ex Apost. Bened. Clementis Reimeri, &c.*

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.LXXXVIII.
Sancti Patris Benedicti. M.C.VIII.

Miraculum hominis Angeli sinu nunc fovet suo Hispania & sanctissima nostri Ordinis Congregatio Montserratensis. Illud fuit sanctæ memoriæ Vir P. F. Sebastianus de Villoslada S. Martini Vallisoleti Abbas, Præsul summa cum nominis reverentia, æternum celebrandus. Natus fuit apud Villosladam Ducatus Naxeriæ in veteri Castello celebrū locum, Patre Petro de Naxero, Matre Joanna Lopez, æternum familiæ decus, parentum gloria, Numini à teneris addictus unguiculis, pietati & devotioni corculum suum puerulus dedit, in litterarum etiam dein studijs eos profectus fecit, ut eruditionis laude celeberrimus evaderet. Alcalæ litteris etiam annuum cum operam navaret ortum cum condiscipulo rixa, visum rem Monomachia dirimere. Adfuitque præ-

stiturâ certamini horâ Sebastianus: cumque horas quatuor. adversarium expectasset, nec quidequam; ad se pia reverfus cogitatione, tamquam immanis pœnitens sceleris, statim de ejurando sæculo propositum concepit; idque quamprimum opere exequutus, in Monasterio Sanctæ MARIÆ Vallis Venariæ cucullum & Regulam S. P. N. BENEDICTI complexus, tanto fervore rigori monachico Virtutumque studijs operam dedit, ut perfectissimus paulo post, & sanctissimus haberetur; & mirabilis omnibus appareret. Fuit sanctissimæ Regulae & Constitutionum, Congregationis & Monasterij longè observantissimus, cum apprimè adverteret, quanti Religiosorum interesset, minima quævis tam Sancti Instituti maximi facere, quantumque damnum Monachi sit & Canobiorum, levia credere & non maximi faciendâ, quæ nemo non nosset Spiritus sancti dictata esse. Ceterum supra Regulam & consuetudines loci, abstinentiæ deditissimus studio, carnis esu perpetuo sibi interdixit, cilicioque & catena ferrea carnem maceravit, multis annis, ter in hebdomade solis pane & aqua vixit. Orationis & contemplationis sublimitate totum se cœlo immerfit; quibus intentus aliquando, Festo Ascensionis Dominicæ, raptus in extasim, tanti splendoris radios ex ore effudit, ut instar Moylis: nemo in faciem ejus posset intueri. Summa observantia Matrem Admirabilem Virginum Virginæ Cœli Imperatricem coluit, interque cultores ejusdem ex Ordine præcipuos numerari meruit, ejus procul dubio intercessione meritis, ut obscurissimo hoc sæculo, tantopere gratia Numinis illustratus, tantæ sanctitatis facem orbi præferret. Humilitati inprimis studuit, minimusque omnium & videri & esse contendit, multasque Ecclesiasticas dignitates, memorabili hujus temporis exemplo, Abbatiam S. Petri de Montibus, Abbatiam S. Martini Regalis Madriti, Pontificatum amplissimum Palentinum, aliosque honores constantissimè rejecit. Vir omnino talis tantusque, qui merito intuentes omnes in admirationem raperet, sui autem Ordinis Religiosos ipsa gratiositate virtutum cogeret, quasi ad

Congregatio Ord. Angliæ.

Sebastianus de Villoslada Montserratensis.

Fuit Monachus.

Abstinentia.

Radij celestis.

Asseratur Episcopatus Palentinum.

T
imi